

STATUTA

FACULTATIS IVRECONSULTORVM VITEBERGENSIUM
ANNO MDVIII P. C. N. COMPOSITA E CODICE MANU
SCRIPTO EDIDIT BREVEMQVE DE . CONCEPTIONE
EORVM AC PVBLICATIONE DISSERTATIONEM PRAE-
MISIT AD ORATIONEM PRO LOCO IN ORDINE IVRE-
CONSULTORVM REGIMONTANORVM RITE OBTINENDO
DIE III MENSIS DECEMBR. A. C. HORA XII IN
AUDITORIO MAXIMO PVBLICE HABENDAM

INVITANS

IONNES GEORGIVS THEODORVS ALBERTVS
ANTONIUS MV'THER

VTRIVSQVE IVRIS DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS DES.

REGIMONTI PRVSSORVM

A. D. MDCCCLVIII.

PROSTANT APVD SALOMONEM HIRZEL BIBLIOPOLAM LIPSIENSEM.



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.



PROOEMIUM.



Euenit, ut cum perscrutarer tabularium ordinis ICTorum Halensium, inciderem in codicem chartaceum, in folio manu scriptum, cuius in fronte legebam titulum hunc:

EXEMPLVM|STATVTORVM|ACTORVMQVE IN|
SIGNIORVM | FACVLTAT. IVRIDIC. | IN ACA-
DEM. WITTEBERG. | DONANTE LIBRVM | Viro
Ampliss. Consult. et Clariss. | Dn. D. Christophoro
Wackio Nun|burgense, P. P. Curiae Electoral. et |
Scabinatus Adessore etc. | CVRANTE DECANO |
D. Ieremià Reusnero Leorin. Sil. | Decretal. Profess.
Publ. Facult. Iurid. Or|dinar. Cur. Elect. Consist. Ec-
cles. et Scabinatus Adessore. | A. O. R. M.DC.XLVI.

Verum inspecto accuratius libro apparebat non solum sta-
tuta actaque in titulo posita, sed etiam diuersae materiae
quaedam capita contineri, spectantia ea quidem et ipsa ad
res facultatis iuridicae Vitebergensis. Et ne longum morer,
quaecunque libro insunt in medio ponam :

- 1° »Statuta antiqua Electoris Friderici« a. 1508 (fol. 11^a
— fol. 24^a).
- 2° Breuis narratio de confirmatione et statutis studii
Vitebergensis (fol. 24^b sq.). ¹⁾

1) Vid. huius dissertationis p. viii.

- 3°. »Statuta noua Electoris Augusti« a. 1560 (fol. 26^a — fol. 48^a).
- 4°. Index expensarum etc. promouendorum (fol. 49^a sq.).
- 5°. Noua formula iuramenti assessorum facultatis (fol. 52).
- 6°. »Singularia statuta a Collegio iuridico diuersis temporibus adiecta« (fol. 54^a — fol. 57).
- 7°. »Priuilegium doctoratus in utroque iure in studio Wittebergensi« (i. e. forma diplomatis Doctori tradendae). Item priuilegium baccalaureatus etc. (fol. 67^a — 69^b).
- 8°. Nuda inscriptio: »Catalogus professorum et doctorum« (fol. 73^a).
- 9°. »Catalogus promotorum Doctorum, Licentiatorum et Baccalaureorum a facultate iuridica« (parum accurate compositus) (fol. 93^a — 94^b).
- 10°. »Catalogus Licentiatorum in utroque iure in academia Wittebergensi, qui gradum Doctoris deinceps asumpsisse ex indicibus Antecessorum non reperiuntur« (fol. 109^a). ²⁾
- 11°. »Acta sub decanatibus« inde ab anno 1508 usque ad extrema uniuersitatis Vitebergensis tempora (fol. 123^a sqq.). ³⁾

Considerato igitur uniuersi, in quo singulae libri huius partes uersantur, argumenti genere et natura, statim eluce-

2) Catalogum Doctorum nec non catalogum Licentiatorum, qui Doctores facti non sunt, inuenies in SVEVI libro infra (p. viii) citando Sign. F ff. 3^b sqq.

3) Decanos, qui inde ab anno 1564 fuerunt ipsos singula, quae hac parte libri continentur, scripsisse multis ex locis facile probatur.

scit, quanta sit nostri libri similitudo atque consanguinitas cum illo codice, quem Carolus Eduardus Foerstemann in tabulario academico Vitebergensi inuentum ex prisci temporis umbra atque obliuione in lucem denuo protraxit inscripsitque: Librum decanorum facultatis theologiae Academiae Vitebergensis ⁴⁾, adeo ut diceres, non sine iure quempiam nostrum quoque librum » Librum decanorum facultatis iuridicae « appellaturum esse.

Neque uero, si attendas, tam par est utriusque libri conditio, quam prima species indicare uidetur. Librum enim Theologorum inde a prima uniuersitatis Vitebergensis aetate decani facultatis theologiae aliique suis ipsorum manibus sensim composuerunt, quo factum est, ut ipsa genuina forma nostris temporibus proderetur: in libro ICtorum posteriori tempore (anno 1646) a Ieremia Reusnero incepto priorum temporum monumenta nisi descripta excerptaue non extant. Nihilominus tamen, quum originalia ipsa instrumenta pridem deleta esse credibile esset, equidem non parum momenti in libro ICtorum positurus, dignum, cuius fieret notitia palam, existimaui. Neque uero negari potest, fuisse, qui tum authenticis, quorum copiae in librum nostrum conscriptae sunt, tum ipsis copiis, quae ad nos peruenerunt, in scribenda facultatis iuridicae et uniuersitatis Vitebergensis historia uterentur. Inter quos primum locum tenet Ioannes Zanger, I. V. D., Professor et Senior collegii iuridici Vitebergensis, qui uniuersitatis saecularia celebrandi causa perlustratis accuratissime instrumentis actisque superstitionibus Cal. Nouembr. a. 1602 orationem de ICtis Vitebergensibus

4) Prodiit Lipsiae 1838. 8°.

habuit; ⁵⁾ deinde copiis cura Reusneri factis Godofredus Sueuus in componendo libro nunc quidem rarissimo et:

»Academia Wittebergensis« etc.

(Witteberg. 1655. 4°.)

inscripto usus est; authenticis denique usus est Andreas Sennert scribens opus illud praestantissimum:

Athenae: itemque inscriptiones Wittebergens. Libri II etc.

(Edit. altera auctior et correctior. Witteb. a. c. 1578. 4°.)

Sed tamen multa insunt libro nostro decanorum, quae fugerunt Sennertum, Zangerum, Sueuum, alia ab iis sine iudicio tanquam uera accepta sunt, quae ipsi maiores errore capti tradiderunt. Et quod maxime dolendum est, nemo adhuc extitit, qui Friderici electoris statuta publici faceret iuris: quemadmodum quidem ipse Zanger proemii statutorum partem orationi, quam habuit, inseruit, ex ipsis statutis nil protulit. Atqui horum statutorum quae sit uis, quae auctoritas, quod pondus, facile intellet, qui sequatur Fridericum Zarnckium ⁶⁾ recte monentem, inde a condita academia Vitebergensi nouam aetatem in annalibus uniuersitatum Germanicarum surrexisse, quippe quum ante Vitebergense studium generale fundatae in Germania academiae instituta tantum et formas uniuersitatum Italicarum et Francogallicarum, quae medio aeuo floruerunt, imitatae sint, uniuersitati Vitebergensi dederint primae nutritores eiusdem formam aptiorem nouis moribus temporibusque.

5) Saepius oratio ZANGERI typis exarata est. Inuenies eam apud SVEVVM l. l. Sign. Dd 3^b.

6) Die urkundlichen Quellen zur Geschichte der Universität Leipzig etc. in: Abhandlungen der philosophisch historischen Klasse der Königl. Sächs. Gesellschaft der Wissenschaften. T. IIII. p. 527.

Sed haec omnia quomodo facta sint alio loco opportunitas dabitur latius ac fusius exponendi. Hae autem pagellae edendis cum breui prooemio statutis antiquis ICtorum Vitebergensium ex libro nostro decanorum apte uidebantur mihi destinari, eo magis, quod prima ordinis ICtorum Regimontanorum, in quo ut locum obtinerem, hancce quantulamcunque conscripsi dissertationem, forma ex Vitebergensium statutis quasi ex fonte et origine haud dubie emanauit. 7)

Verum suscepto officio editoris recenseam opus est prae caeteris ea, quae de statutorum infra edendorum conceptione et publicatione perhibentur, eaque perhibentur in ipso nostro decanorum libro (fol. 24^b sq.), qui sic loquitur:

Anno Domini millesimo quingentesimo secundo in die sancti Lucae intronisata 8) est Alma achademia Wittenburgensis et per Iulium secundum et Maximilianum Romanorum regem confirmata ad instar omnium aliorum gimnasiorum.

Quae recta et gubernata fuit certis statutis, quibus singuli beneficio illustrissimorum Principum Dei gracia Friderici sacri Romani Imperii Electoris, Praefecti Praetorio et Ioannis, Ducum Saxoniae etc. Vniuersitatis Fundatorum gratis et absque mercede promouebantur.

7) Cf. de conceptione statutorum academiae Regimontanae: Daniel Heinrich ARNOLDT, Ausführliche und mit Urkunden versehene Historie der Königsbergischen Universität. 1. Theil. Königsb. i. Pr. 1746 p. 127 sq., p. 130. Quamquam ordo ICtorum ab initio statuta non accipit, tamen eum formatum esse exemplo Vitebergensis facultatis nemo nisi historiae uniuersitatis Regimontanae paene ignarus uocabit in dubium. Vid. Max. TOEPPE, die Gründung der Universität Königsberg etc. Königsb. 1844 p. 228 sq.

8) In libro ipso legitur: *introuisata*. Sed hoc falsum esse nemo erit, qui non concedat. Cf. Libr. Decanor. facult. theologic. etc. ed. FOERSTEMANN p. 1.

Tandem anno octauo in festo Michaelis Domini Principes Vniuersitati alia et noua statuta dederunt, quibus Reformatores ⁹⁾ instituerunt.

Statuta autem praecedentia praelecta sunt Facultati Iuridicae die decima quinta Octobris Anno octauo in domo Doctoris Plochij Rectoris ¹⁰⁾ praesente Domino Mollerstat ¹¹⁾ reformatore, Doctoribus iuris ad hoc uocatis etc.

Sed est, quod equidem sentiam, hic locus quoad fundationem academiae breuior quam accuratior ¹²⁾; quoad statutorum promulgationem desumptus forte ex antiquis scriptis puta protocollis; quoad ea denique, quae de antiquissimis anni 1502 statutis enarrantur, nisi ualde fallor, a Reusnero uel alio posteriorum, incertis ac dubiis fontibus maiorem quam par erat fidem habente, compositus uidetur. Quod quidem uerum esse intellegitur ex Zangero, qui quinqua-

9) Legitur in statutis academiae Vitebergensis a. 1508: Reformato-
ribus uices nostras delegamus et damus omnimodo supremam et ab-
solutam potestatem. Cf. Jo. Chr. Aug. GROHMANN, Annalen der Uni-
uersität Wittenberg. Meissen 1801 sqq. T. II p. 10.

10) Theodoricus BLOCHIVS (BLOCK), artium et medicinae Doctor
rectoratum gessit per aestatem a. 1508. Vid. Album acad. Viteberg.
ed. FOERSTEMANN. Lips. 1841. 4°. pp. 25 et 21.

11) Martinus POLICH DE MELLERSTAT. Epitaphium eius in templo
parochiali Vitebergensi hoc est: ANNO. A. NAT. DOMINI M̄DXIII. VI.
KAL. IAN. PRESTANTISSIMVS. DNS. MARTIN. POLICHIVS.
MELLERSTADIVS. ARTIVM. PHILOSOPHIAE. MEDICINA-
RVMQVE. DOCTOR. SACRE. THEOLOGIE. MAGISTER. HVIVS
GYMNASII. RECTOR. PRIMVS. ET. PARENS. DIEM. EXTR.
CLAVSIT. Cf. SENNERT l. c. II c. 3 p. 223. Reformatoris nec non
Vicecancellarii munere Noster illo tempore, quo statuta edebantur, fun-
gebatur.

12) Vberius de fundatione uniuersitatis agitur in Libro decanorum
facultatis theologiae etc. p. 1.

ginta fere annis ante Reusnerum scripsit de fundatione academiae primisque eius statutis :

Fridericus a. 1502 academiam introduxit » ac usque ad annum 1508 certis statutorum formulis, uti opinor, gubernandam curauit.

Quodsi apparet, iam Zangerum, memoriarum ueterum exsequentissimum et acutissimum indagatorem neque ipsa illa statuta uidisse neque ullam eorum commemorationem fide dignam ex annalium uetustate eruere potuisse : anno 1502 ulla aut uniuersitatis aut facultatum statuta publicata esse recte negandum esse puto. Neque hoc unicum habeo quo mouear argumentum. Nam uel ex eo, quod Fridericus elector in praefatione statutis anno 1508 editis praemissa legum antea publicarum et tunc derogandarum nullam fecit mentionem immo de utilitate et necessitate statutorum egit generatim, pro certo euinci potest, statuta ante illud tempus promulgata non extitisse. Longum est ceteras quibus ducor rationes pluribus exponere, illud tamen non possum non commemorare, et ipsum Foerstemannum ¹³⁾ »statuta uetera« facultatis theologiae a. 1502 publicata esse affirmantem, mirum quantum lapsum esse, quum illa quidem statuta et ipsa sine dubio una cum statutis tam uniuersitatis quam aliarum facultatum mense Octobr. a. 1508 promulgata sint, ¹⁴⁾ id quod, ut praeteream alia, ex »Priuilegio Magistrorum Sacre paginae In Gymnasio Wittenbergen. promotorum« ¹⁵⁾ ipsis statutis fa-

13) Lib. Decanor. facult. theologic. etc. in praefat. p. V.

14) Cf. SENNERT, Athen. Witteb. cap. V p. 47. 48.

15) Vid. Libr. decanor. facult. theolog. ed FOERSTEMANN p. 149 sqq.

cultatis theologiae adiuncto et die XV. m. Nouember. a. 1508 composito satis clare perspicitur.

Sed ut haec mittamus, constat, statuta nostra facultatis ICtorum Vitebergensium publicata esse die XV. Octobris a. d. 1508. Eodem tempore facultati ICtorum adscripti erant:

1. Ioannes Mogenhouer (Mugenhouer, Mogenhofer, Magenhoefer), I. V. D., praepositus ecclesiae collegiatae omnium sanctorum in arce et in iure pontificio ordinarius. ¹⁶⁾

2. Wolfgangus Stehelin AA. et I. V. D., legum ordinarius. ¹⁷⁾

16) I. MOGENHOVER ante annum 1504 Lipsiae D. I. V. creatus (cf. R. STINTZING, Ulrich Zasius etc. Basel. 1857. 8° p. 334) initio aetatis a. 1508 Vitebergae immatriculatus est (cf. Album acad. etc. ed. FOERSTEMANN p. 25). Abiit uel obiit ante a. 1511, quo anno „Hennynghum GOEDE de Haffellburgk“, ICtum inclytum, cuius nomen aetate a. 1510 in album academiae inscriptum sit (cf. Alb. acad. p. 31), praepositum aedis omnium sanctorum et ordinarium iuris canonici factum esse ex libro nostro ms. (fol. 134^a) intellegitur. — Inter ius pontificium „ordinarie et extraordinarie“ docentes, quos „Rotulus Doctorum Vitembergae profitentium“ a Christophoro SCHEVRL (uid. huius dissert. p. XIII) anno 1507 editus (inuenies eum apud G. T. STROBEL, Neue Beiträge zur Literatur etc. T. III Ser. II. p. 57) recenset, est: „D. Joannes MONHOFER, iur. utr. Doctor Perusinus, Decanus Vittembergensis“. Nescio an MOGENHOVERVM nostrum et SHEVRLI *Monhoferum* easdem esse personas probari possit.

17) „Wolfgangus STEHELIN Rotenburgensis, arcium et utriusque iuris doctor Tubingensis, facultatis iuridicae primus decanus et in iure canonico ordinarius“ (Album acad. p. 1), post MOGENHOVERI uocationem iura ciuilia legere coepit (Lib. nost. ms. fol. 134^a cf. c. 124^b). Christophori SCHEVRLI orationi rectorali a. 1507 (prodiit Lipsiae „per Martinum Herbipolensem“ [Lantzberg] a. 1509 mense Decembr. in 4^o) uerba insunt haec: „Nescio quo uerborum preconio gratias sim acturus Wolfgango Stehelin I. V. D. celeberrimo, uniuersitatis primo ordinario (i. e. *ordinario iuris canonici*), ICtorum principi, cuius excellens eruditio nobis omnibus magnum affert splendorem, ducali consiliario et

3. Laurentius Schlamhau, iur. canon. D. et plebanus Vitebergensis.¹⁸⁾

4. Hieronymus Schuerpf, AA. et I. V. D., legum (Codicis) ordinarius.¹⁹⁾

5. Christophorus Scheurl, I. V. D. et nouorum iurum ordinarius.

Decani munere functus erat per aestatem anni 1508 Christophorus Scheurl²⁰⁾, qui idem cum ex nostro decanorum quidem libro auctor statutorum ICtorum Vitebergensium anni 1508 sit habendus, non ingratum spero me rerum academicarum studiosis hominibus facturum, si de uita illius uiri praestantissimi dignique cuius memoria renouetur inter

compatri obseruando. "Anno 1521 Noster factus est cancellarius HENRICI ducis Saxoniae (cf. Corpus Reformatorum ed. BRETSCHNEIDER T. I col. 280 Not. **) et Fribergam se contulit. De eo uid. L. a SECKENDORFF Commentar. histor. et apologet. de Lutheranismis etc. Francof. et Lips. 1692 Fol. Lib. I § 110 Add. II a. Ch. F. SCHNURREI Oration. academ. etc. ed. C. E. G. PAVLVS. Tubing. 1828. 8. p. 66 sqq. NEVDECKER, Geschichte der Reformation p. 413. LVTHER'S Briefe herausg. von DE WETTE T. I. pp. 108. 420. 449. 454. 545 T. II 348.

18) „Laurentius SCHLAMAW de Belthicz iuris pontificii baccalaureus, huius oppidi plebanus“ anno 1502 receptus est in numerum scholasticorum academiae Vitebergensis (Album acad. p. 2). Ante aestatem anni 1505 iuris canonici Doctor renunciatus „in die inuentionis salutiferae crucis quinto nonas Maii a. 1505 rector uniuersitatis electus est“ (Album acad. p. 16). Postea (ca. a. 1508—1511) factus est ecclesiae collegiatae omnium sanctorum decanus (Lib. nost. ms. fol. 124^b. cf. c. fol. 134^a), cui ex bulla confirmatoria Iulii II papae a. 1507 (inuenies eam aqud SVEVVM l. 1.) legendi „in decretis dominicis diebus“ (i. e. feriatis diebus seu extraordinarie) necessitas incubuit. Obiit mens. Febr. a. 1523. Cf. LVTHER'S Briefe herausg. von DE WETTE T. II p. 307 sqq.

19) De quo uide: Theod. MVTHER, Der Reformationsiurist D. Hieronymus Schürpf etc. Erlang. 1858. 8.

20) Lib. nost. ms. fol. 124^b.

paucos, in finem huiusce praefationis strictim et obiter, prout postulat rei natura, exposuero.

Christophorus Scheurl, (Schewrl, Schewerlin, Schewrlus, Scheurle etc.) ²¹⁾ Norimbergensis natus est d. XI mens. Nouembr. a. 1481. Puerum decem annos natum pater Heidelbergam misit; multa etenim, quae hodie in gymnasiis traduntur, tunc temporis adolescentibus literarum cupidis in uniuersitatibus discenda erant. Inde a. 1496 (1497?) Italiam profectus est eo consilio, ut Bononiae ad iurisprudentiam cuius tunc temporis illic celeberrimi floruerunt professores, studium operamque conferret. Cuius quidem consilii capiendi auctor fuerat Sixtus Tucher, I. V. D., Nostri auunculus et patronus, qui, postquam studium generale tam Papiense quam Patauense et Bononiense frequentauit ac postea magna celebritate ac frequenti auditorio Ingolstadii iura publice professus est, praepositus ecclesiae Sti. Laurentii Norimbergensis factus erat. Bononiae uero contigit Scheurlo, ut »nouem continuis annis sub Ioanne Campeggio et Ludouico Bolognino, excellentissimis etc.

21) Cf. Franz Freiherr von SODEN, Christoph Scheurl der zweite und sein Wohnhaus in Nürnberg etc. Nürnberg. 1837. 8. et eiusdem: Beiträge zur Geschichte der Reformation und der Sitten jener Zeit mit besonderem Hinblick auf Christoph Scheurl II. Nürnberg 1855. 8. Praeter hos libros diligenter sed parum ingeniose et erudite ex fontibus rebus grauissimis repletis conscriptos usus sum ipsis SCHEURLI operibus inprimis oratione in laudem Germaniae, infra citanda. Cf. etiam Conradi WIMPINAE, uti opinor, opus, quod Joach. Joh. MADER titulum addens: „Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, praesertim Lipsiensi, Wittenbergensi, Francfordiana ad Oderam academiis, A fundatione ipsarum usque ad annum Christi 1515. floruerunt, Centuria, ab auctore eius temporis anonymo concinnata etc. Helmstadii 1660“ form. 4. edidit. Quo libro sub Nro. LXXXIII de SCHEVRLO agitur.

praeceptoribus iurium candidatus esset. « Verum idem literis quas uocant humanioribus diligenter incumbere Philippique Beroaldis assidue frequentabat auditoria. Et quanta fuerit Scheurli apud commilitones auctoritas uel ex eo existimare licet, quod certum est, ipsum a. 1504 ab illis utriusque uniuersitatis Bononiensis (nempe uniuersitatis citramontanorum nec non uniuersitatis ultramontanorum²²⁾ syndicum esse creatum. Hunc magistratum gerentem nostrum Scheurlium cum rector uniuersitatis ex Germanica natione a. 1505 nouissime electus orationem publicam in celebrandis rectoratus uicibus usitatam habere iussisset, Scheurli, ut erat patriae amantissimus, » de laudibus Germaniae orationem « composuit et magna frequentia ac maximo plausu scholarium inprimis popularium habuit. Quae postea prodiit in publicum Bononiae a. 1506, 4°, dein uero repitita est sub hoc titulo :

**Libellus De Laudibus
Germaniae & ducū Saxo
nic editus a Christophoro Scheurlo Nürem
bergenſi Iurisutriusque Doctore.
Fortes Fortuna Formidat.**

In fine:

Martinus Lantzpergius, Lipsensis bibliopola elegantissimus: summa uigilantia, ne ab Italico archetipo oberret, hunc libellum imprimebat mense Iunio, anno octauo sup̄ millesimum quingētesimūque | M. Fortes Fortuna Formidat | C S D. ²³⁾

22) De uniuersitatibus Bononiae florentibus uid. VON SAVIGNY, Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter. T. III.

23) Opusculum forma 4. typis goth. elegantissime expressum caret

Eo ipso tempore, quo hanc de laudibus Germaniae orationem conscripsit Noster (finem imposuit operi d. XI^o mens. Nouembr. a. 1505 quo die annum XXXIII^{um} uitae compleuerat) uocatus est a Friderico electore Vitebergam, illic lecturam iurium nouorum i. e. Libri sexti et Clementinarum suscepturus. Friderico enim, circumspicienti ac quaerenti qui posset nouam academiam necdum satis ordinatam in modum Italicum moderari atque instituere, Scheurlum nostrum commendauerat pater eiusdem, Christophorus Scheurl ciuis Norimbergensis, auctoribus et interpretibus Sixto et Antonio Tucheris, Ioanne Staupitzio (quocum Romae iam a. 1500 Noster conuenerat) Degenhardo Pfeffingero, intimo electoris consiliario. Itaque Scheurl, postquam a. 1506 Bononiae iuris utriusque infulis coronatus est in patriam rediit et initio a. 1507 Vitebergam se contulit ²⁴). Eodem anno rector uniuersitatis creatus est. Qua de re leguntur haec in Albo uniuersitatis ²⁵):

Christoferus Scheurlus

Nurnbergensis Iuris vtriusque doctor Bononiensis Nouorum Iurium ordinarius Anno domini 1507 kalendis Maijs electus fuit Rector gymnasii Wittembergensis, quem rectoratum cum summa dignitate, magnificentia, humanitate et omnium beneuolentia absoluit. Prohibuit ne quis potandi gracia tabernam intraret, neue arma deferret sub pena medij aurei. deditque aenatui occasionem, vt per id tempus ciuibus interdicta sint arma, et

numeris foliorum vel paginarum: per totum autem inueniuntur signaturae.

24) Cf. Alb. academ. Viteb. ed FOERSTEMANN p. 20.

25) Ibid. p. 21.

ita cum maxima pace quiete et tranquillitate absque alio tumultu data est opera literis. Doctorem Iodocum ysenacensem ²⁶⁾ doctorem theodoricum block medicum et licentiatum ²⁷⁾ Priorem sancti augustini in consilium vniuersitatis cooptauit et denique sub suo floridissimo rectoratu centum et duodecim studentes intitulauit, etc.

Noluerim in multis ac singularibus Scheurli nostri in principem, uniuersitatem, facultatem ICtorum meritis recensendis longius commorari; sufficiat igitur hoc loco commemorasse, ICtorum non solum statuta ab eo composita — cuius operae accepit praemium decem aureorum i. e. florenorum Rhen. — sed facultatem ita ordinatam et augmentatam esse, ut initio anni 1511 XI sodales eiusdem essent, cuius initio aestatis 1508 quatuor fuerant ²⁸⁾. Perpetuo fere decani aut ordinarie electi aut legitime substituti nec non inde ab anno 1508 consiliarii electoralis et iudicii ducum Saxoniae supremi aulici, quod quater per annum Lipsiae et Altenburgi habebatur, assessoris muneribus functus est. Anno autem 1512 mense Aprili Norimbergam rediit, ubi inter consulentes iudicii urbani receptus ob legationes, consilia, uitae morumque integritatem etiam de ciuitate sua insigniter meritus mense Iunio a. 1542 diem supremum obiit. ²⁹⁾

26) Iodocus TRVDTFETTER S. theologiae doctor Erfordianus.

27) Vid. h. d. not. 10.

28) Cf. libr. nostr. ms. fol. 134 cum fol. 124^b.

29) Praeter orationes SCHEURLI iam citatas extant alia eiusdem scripta. Inter quos est „Oratio de sacerdotum ac rerum ecclesiasticarum praestantia“ siue „sacerdotum defensorium“, Vitebergae a. 1511 in promotione sacerdotis cuiusdam habita. Leguntur haec oratio, SHEURLI oratio de uita et obitu reuerendi patris Antonii Kressen I. V. D. Praepositi Norimbergensis in Collegio S. Laurentii, alia eiusdem auctoris

Iam nil reliquum est, nisi ut, quam rationem in textu statutorum statim edendorum constituendo sim ingressus, profitear. Potissimum igitur secutus sum fidem libri manuscripti nunquam traditam in illo scripturam ausus mutare, nisi aperta uiderentur deprauationis indicia. Sed quotiescunque aliquid mutavi, scripturam codicis in notis addidi. Orthographiam et interpunctiones mutare non dubitavi: ita tamen ut illam librorum typis exaratorum saeculi $\overline{\text{XVI}}$., has hodierno scribendi interpungendique modo adaptarem.

Appendicis loco »formulam, qua Wittenbergae utuntur in conferendo titulo Doctoratus« ex libro rarissimo, Norimbergae a. 1539 impresso, repetendam curavi. Liber ille prodit sub hoc titulo:

EPISTOLA | PHILIPPI | MELANTHONIS | ad
Senatum Venetum. | ORATIO PVBLICE HABITA |
Vuittenbergae in promotione Doctoris | Iuris. de Scri-
pto Iure, et dignitate | veterum interpretum Iuris.
form. 8. min.

Inuenitur formula nostra post orationem de scripto iure Sign. B (5^a et ^b). In fine autem operis, cui adiectae sunt praefationes et epilogi loco epistulae, haec leguntur uerba:

Impressum Norinbergae per Hieronymum | Formschney-
der Anno. M. D. XXXIX.

scripta minora et epistulae in Bilibaldi PIRCKHEIMERI etc. Opera etc. Francof. 1610. Fol. pp. 340, 349 sqq. Omnia, quae SCHEVEL edidit opera et opuscula accurate recensentur a Georgio Andrea WILL, Nürnbergisches Gelehrten-Lexicon etc. T. III. Nürnberg. 1757. 4. pp. 516 sqq.

STATVTA.

STATVTA ANTIQVA ELECTORIS
FRIDERICI.

STATVTA IVRECONSVLTORVM.

Dei gratia Foedericus, Dux Saxoniae, Sacri Imperii
Elector et Praefectus Praetorio, Landgravius Torin-
giae, Marchio Misnae etc., reuerendo et egregio Domino
Joanni Mugenhofer Doctori, Praeposito nec non Priori
et Senatui consulto Gymnasii nostri Wittenburgensis salu-
tem dicit.

1) Quatinus Gymnasium nostrum, Patres conscripti,
ex omni parte absolutum esset, et principatus nostri oracu-
lum merito dici posset, Iuresconsultos quoque instituere
necessarium duximus, a quibus responsa vitaeque 2) con-
silia postularentur, qui sacratissimas leges profiterentur,
quae 3) totae sunt in aequitate et moderatione, totae in pru-
dentia, totae denique in Philosophia et profundissima sa-

1) Indicem eorum, quae sequuntur, ZANGERS orationi suae sac-
culari inseruit.

2) *Cod. ms. vita'g. ZANGERS l. l. legit uitaeque.*

3) Verba sequentia et alia praefationis ex CHRISTOPHORI SCHEVRLI
In laudem Germaniae oratione (Ed. Lips. a. 1508 Sign. B) deprompta
sunt.

piencia constitutae, totae ad genus humanum regendum, gubernandum, defendendum excogitatae, totae ad vitam bene beateque agendam inuentae, sine quibus nullum Imperium, nullam Rempublicam scimus posse esse diuturnam, propterea, quod arma Imperia parant, leges parta conseruant. Sicut enim sine armis regna acquiri non possunt: ita nequeunt haec eadem sine legibus custodiri, propterea quod leges muri sunt et fundamenta ciuitatum, in quibus bonos quam tutissime detinent, malos arcent, in quibus salus bonorum, consilia ciuitatis et pacis ⁴⁾ praesidia continentur, quibus vita perinde tuetur, ac cibo corpus sustentatur. Verum quia parum esset leges interpretari, nisi etiam legibus viueretur, Vobis ⁵⁾ quoque leges vestras transmittimus in unum redactas. Et memoriae proditum est, Lycurgum, qui temporibus Helisei claruit, ut aeternitatem legibus suis daret, iureiurando astrinxisse ciues, nihil eos de legibus suis mutatueros, priusquam reuerteretur; et se ad oraculum proficisci simulasse consulturum, quid addendum mutandumue videretur; sed in Cretam profectum ibique perpetuum exilium egisse, abiicique in mare ossa sua morientem iussisse, ne relatis aliquando Lacedaemoniam Sparciatae iurisiurandi religione solutos in dissoluendis legibus se arbitrarentur. Ita nos quoque quemque Vestrum iureiurando obligamus, instituta nostra, non modo donec nobis vita contigerit, verum etiam perpetuo sincere custodire, ut aliis sitis exemplo et nos Rempublicam nostram in partibus Vobis credendis tute Vobis committere possimus ⁶⁾. Vsu namque didicimus,

4) *Cod. ms.* pace.

5) *Cod. ms.* nobis.

6) *Cod. ms.* possumus.

solos disciplinae Vestrae Professores non tam iuris et iustitiae quam sapientiae consultos apud principes in altissimo rerum dignitatumque fastigio collocari propterea quod parum valent arma foris, nisi consilium praecesserit domi. Pectora sunt potiora manu, vigor omnis in illis est, hoc quod Agamemnon, summus Graecorum imperator, audiens Nestoris sapientiam, potius decem Nestores, quam totidem Aiiaces armis praestantes sibi optabat, quod eo pacto breui Troiam occasuram sperabat. Praeterea cum Philippus, Macedonum rex, Athenas obsedisset, ab Atheniensibus postulat, quodsi decem oratores sibi darentur, se ab obsidione discessurum. Tum ferunt Demosthenem in consilio hanc fabulam Atheniensibus confinxisse: Lupi inierunt aliquando cum pastoribus foedus ea conditione, ut sibi canes, qui dissidii causam dare videbantur, traderentur obsides; quod cum factum esset lupi adempta formidine omnem gregem non modo pro satietate, verum etiam pro libidine lacerarunt: id quod Philippus quoque sublatis oratoribus, id est sapientibus, in populo Atheniensi facturus esset. Quod audientes Athenienses Demosthenis consilio acquieuerunt, sicque ciuitas a periculo liberata est. Et in summa, ut cum sapiente illo concludamus, quidquid feceris prius consule, et post factum non poenitebis. Si itaque et iuris et iustitiae et sapientiae consultos, ut confidimus, Vos praestiteritis, et has leges nostras, ut praediximus, sincere custodieritis, maxime nobis grati eritis. Valet et plaudite!

DE PATRONO ET SENATV IURECONSVL- TORVM.

CAPVT PRIMVM.

Prudentissimae Iureconsultorum Facultati in Deum tutelarem deligimus pauperum aduocatum sanctum IVO-NEM ⁷⁾, volentes ut eius festum praesente Vniuersitate in aede nostra sancta peragatur quotannis egregie decimo nono die mensis Maii. Expendantur in eam solempnitatem grossi viginti de quibus fiat satis altaris ministris, reliquum pauperibus distribuatur. Hoc iacto fundamento statuimus, ut Doctores diuini et humani iuris, qui in Vniuersitate nostra promoti fuerint, legerint, aut habitauerint, cooptentur collegio Iureconsultorum. Seruent inter se eum ordinem, quo fuerint cooptati, non obstante alicuius praerogatiua, praeter iuris *Caesarei* ⁸⁾ tantum, quos postponimus diuini aut utriusque iuris Doctoribus, exceptis etiam Praeposito et Decano aedis nostrae omnium Sanctorum, quos volumus semper esse primos. Cooptati vero Collegio soluant Vniuersitati aureum unum, si Wittenbergae fuerint promoti, forenses diuidium sui gradus, hoc est aureos octo. Quod

7) *Cod. ms.* Innoxem.

8) *Cod. ms.* Caesarij.

idem in Baccalaureis et Licentiatis volumus obseruari, locari seu promoueri volentibus. Et sese tali iuramento astringant:

IVSIVRANDVM EORVM QVI REFERVNTVR IN SENATVM.

CAPVT SECVNDVM.

Ego N. iuro pro virili mea fideliter ⁹⁾ consulere honori et utilitati vestrae iuridicae facultatis, secreta consilia ad dictamen domini Decani non reuelare, sed illi in honestis parere et statuta diligenter seruare custodireque, ut me Deus adiuuet et sanctorum Euangeliorum conditores.

DE ELECTIONE DECANI.

CAPVT TERTIVM.

In die Philippi et Iacobi nec non sancti Lucae vocantur Doctores per *schedulam* ¹⁰⁾ antiqui Decani et statim publicato Rectore, inuocata Dei gratia, eligatur Decanus secundum ordinem iam denotatum ¹¹⁾, etiamsi fuerit absens breui reuersurus, incipiendo a Praeposito et Decano omnium

9) *Cod. ms.* fidelitatem.

10) *Cod. ms.* sedulam.

11) *Cod. ms.* denotatum.

Sanctorum, ita tamen, quod nullus eligatur, nisi fuerit annum in Facultate, sed tunc praetereatur, donec ordo eum iterum tetigerit, exceptis Praeposito et Decano omnium Sanctorum quos subito volumus esse eligibiles. Decanus electus manu stipulata promittat praedecessori, quod officium suum fideliter exercebit et eius obtentu in praeiudicium Vniuersitatis uel Facultatis nil molietur. Quod si fuerit absens uel impeditus in omnibus concernentibus officium suum sit substitutus seu delegatus Decanus praecedens, quo impedito iterum praecedens.

DE FORMA PORRIGENDI SVFFRAGIA.

CAPVT QVARTVM.

Quotiens autem quid tractandum venit, Decanus per schedulam cum insertione causae conuocet Doctores omnes ad domum suam vel alium locum congruum sub poena per iurii vel mulctae certae, pro facti scilicet qualitate. Et tunc absentis, nisi forte causa Principis aut Reipublicae, nulla ratio habeatur. Coactis patribus roget sententias diligenter incipiendo semper a seniore. Ipse vero habeat duo vota et ex votorum pluralitate concludat, hoc obseruato, quod omnia decreta ipso facto nulla sint, quae non sunt trium aut quatuor suffragiis roborata.

DE OFFICIO DECANI.

CAPVT QVINTVM.

Decani munus imprimis esto, recipere signum, clauēs, statuta, rationarium scholasticorum iuridicae Facultatis a praedecessore praesente Facultate. Decanus mox post electionem conuocet Doctores et scholasticos suos et eis praelegat statuta Facultatis. Decanus pro tempore sit caput Facultatis, cuius statum dirigat ipse solus; alii sunt membra tantum. Ipse Decanus post Praepositum et omnium Sanctorum Decanum sit primus ubique tam in sedendo, quam ambulando, seu scribendo, seu subscribendo tam publicis, quam priuatis actibus. Publicae autem subscriptiones vel literae vel sententiae Facultatis fiant nomine Decani tantum et Facultatis. Et semper dictentur conscribanturque per iuniorem, per reliquos diligenter emendentur, ita tamen, quod in sententia ferenda sit absens, qui forte alicui partium fuit patrocinio. Similiter et literae priuatae subscribantur a singulis et tandem annulo senioris consignentur. Decanus promouendis in quocunque iure solus assignet titulos legendos, punctos tam in tentamine quam in examine. Ipse faciat praesentationem Vicecancellario. Eo impedito succedat praecedens Decanus, ut dictum est, exprimendo se supplere locum Decani, cuius hoc interest. Decanus etiam conscribat sententias Facultatis et literarum copiam retineat. Praeterea in rationarium Facultatis cooptet promotos seu receptos et quantum quisque dederit, adiicendo diem et annum diligenter. Promotiones autem intinet publice, speciuocando

nomina ¹²⁾ promotoris et promouendi sub signo Facultatis, quo alioquin nullo modo utatur absque patrum assensu. Diem autem, horam, punctum assignatum et locum examinis notificet Doctoribus per schedulam, non prius tamen, quam expensas promouendi acceperit; alioquin de suo soluat; et tandem distribuat fideliter et reliquum in fine officii inferat aerario et Reformatoribus rationem reddat. In die IVONIS inuitet Rectorem cum caeteris Professoribus, suis vero publice mandet, quatinus intersint missae et offerant, unde tunc ei una cum suis a Rectore assignamus locum primum.

DE PROMOTIONIBVS.

CAPVT SEXTVM.

Doctores vel Baccalaurei unius vel utriusque iuris promoueantur, similiter et recommendatio Licentiatorum habeatur a Doctoribus Facultatis secundum eorum ordinem ita quod primum Doctorem et Baccalaureum seu primos simul promoueat Dominus Praepositus, secundos Decanus, tertios tertius. Potest tamen Doctor impeditus seu ¹³⁾ absens vices suas delegare alteri Doctori Facultatis cui vult, maxime ad petitionem promouendi, citra tamen praepudicium aliorum. Duo Doctores tantum, sicut et duo Licentiati et tres Baccalaurei simul admittantur et non plures. Si Doctor promo-

¹²⁾ *Cod. ms.* nomine.

¹³⁾ *Cod. ms.* sed.

ueat simul duos Doctores, Licentiatos vel tres Baccalaureos pecunia promotionis cedat sibi soli; si autem promouerit Doctorem, qui prius non erat Baccalaureus, aut in eius Licentia non habita est recommendatio, aut Doctorem, Licentiatos aut Baccalaureos simul, tunc sibi et ceteris Doctoribus distribuatur quicquid sibi cedit ultra promotionem principalem; similiter si in numero promouendorum fuerit dispensatum, ita ut omnia sint paria. Et quilibet faciat duos promotiones et unam recommendationem.

Promouendus in Baccalaureum seu Licentiatum, postquam sibi beneuolentiam Doctorum comparauerit, et sic uenia ipsorum comparata adire debet Facultatis Decanum, qui cogat senatum suum, in cuius praesentia iuret promouendus, sese non vindicaturum, si quo casu impediretur et quod super rogatis dicat veritatem. Promouendus in Baccalaureum legitime doceat, vel si Facultati videbitur inspecta sua qualitate iureiurando se astringat, duos annos cum dimidio, in Licentiatum vero quinque annos diligenter lectiones audiuisse et ei iuri dedisse operam, in quo promoueri desiderat, in utroque tamen iure graduandus docebit cuique iuri triennio nauasse operam in aliquo studio generali et priuilegiato. Praeterea Baccalaureandus tres circulos teneat, Licentiandus publice repetat, quod tamen ob scholasticorum utilitatem in lectiones commutari poterit, ita ut Baccalaureus post adeptum Baccalaureatum statim leget ad minus unum de tribus primis libris Constitutionum et hunc ordinem seruet: Primo recitet casum in terminis, et si lecto textu ingenio suo — non ex Doctoribus — unum aut plura notabilia colligere poterit, id ad libitum sibi sit, sed Doctores allegare non debet; postremo ad apparatus glossarum

accedat et illas prout iacent expediat. Licentiatuſ vero ante Licentiam unum mensem et poſtea duos publice legat aliquos titulos in Decretalibus ſeu in Codice aut Digestis. Quod tamen de tempore et completionis et lectionis diximus, ſic intellegi volumus, ut hoc totum relinquamus ¹⁴⁾ discretioni et arbitrio Doctorum, quos in hoc tantum elaborare volumus, ne quem turpe promoueant inanem literarum, dedecorantem et gymnaſii noſtri et eorum auctoritatem, dummodo haec obſeruent, ne quem Wittenbergae ſtudentem in Baccalaureum iuris canonici promoueant, niſi audiverit ad minus unum annum diligenter lectionem ordinariam et Sexti *vel* ¹⁵⁾ Clementinarum, in iure civili unum annum lectionem Digestorum et Codicis. Nullum quoque admittant ad doctorandi Licentiam, niſi tantundem ubique a tempore Baccalaureatus audiverit. Quodſi Baccalaureatio careat, ad iuris canonici Licentiam non admittant, niſi per biennium audiverit lectionem ordinariam et Sexti ſeu Clementinarum, iuris civilis per biennium lectionem Digestorum, Codicis et Institutionum. Ad utriusque vero iuris Licentiam neminem admittant, niſi per triennium audiverit lectionem ordinariam iuris canonici et Sexti ſeu Clementinarum et utramque iuris civilis ſcilicet Digestorum et Codicis, alioquin diſpenſationem per Facultatem obtentam ipſo facto cenſemus eſſe nullam.

Poſthac ſtipulentur Doctores, candidatum non velle promouere, niſi credant idoneum, ſecluſo amore vel odio. Qui candidatus adueniente die Facultati congruo ¹⁶⁾ mane in

14) *Cod. ms.* relinquimus.

15) *Cod. ms.* et.

16) *Cod. ms.* congrue.

ecclesia collegiata disponat missam celebrari de sancto spiritu vel beata virgine cum collecta diuini IVONIS et sancti AVGVSTI, ad quam per schedulam Decani vocantur Doctores sub poena quinque grössorum. Qua finita congregentur in sacristia et Decanus nomine Facultatis assignet puncta duo promouendo in Baccalaureum in eo iure, in quo cupit gradum, unum scilicet in Decretis alterum in Decretalibus, vel unum in Digestis, alterum in Codice, si in utroque alterum in Decretalibus, in Codice alterum, hoc obseruato, quod nemo in distinctionibus punctetur, sed semper potius in locis ordinariis, quae similiter seruari volumus tam in tentamine, quam in examine. Licentiandi itaque semper puncta recitent circiter horam quartam in loco Decano congruo, ad quem conuocet Doctores per schedulam continentem puncta sub poena priuationis salarii ex tali examine consequendi. Adueniente hora examinis inuocato Diuino auxilio cum omni maturitate promouendus sua puncta recitet. Contra quem tandem opponant Doctores omnes, vel ad minus eorum tres, incipiendo a iuniore. Si tunc visum fuerit maiori parti Doctorum examinatus in nomine Domini admittatur in Baccalaureatum, vel tentatus ad examen publicum, ita tamen, quod praesentetur Cancellario, qui locum et diem pro examine assignet examinandique publice facultatem — ubi iterum omnia obseruentur, ut in tentamine — tribuat. Comprobato Licentiando, licentiam doctorandi ei confert Dominus Cancellarius, vel eius locum tenens. Quem Doctoratum poterit assumere eodem die, vel altero, prout visum fuerit Facultati. Et tunc ad Baccalaureatum vel Licentiam praeuentibus, ad aulam vero Doctora-

lem *praequantibus* 17) Bedellis sceptriferis scholastici iuris omnes pirrethatos inuitent.

IVRAMENTVM PROMOVENDORVM.

CAPVT SEPTIMVM.

Promouendus publice iuret hoc modo: Ego N. iuro Domino Decano et Doctoribus Facultatis iuridicae obedientiam et reuerentiam debitam, quod in quocunque statu utilitatem Vniuersitatis et maxime Facultatis iuridicae pro virili mea procurabo, quod hunc gradum non reiterabo, sed potius annum in hoc almo studio complebo, ut me Deus adiuuet et sanctorum Euangeliorum conditores.

Et hoc si fuerit Baccalaureandus, Licentiandus vero loco ultimae clausulae adiiciat:

Quod insignia Doctoralia nullibi assumam nisi in studio Wittenburgensi.

Doctorandus iuret:

Neque assumpta repetam et quod, si determinauero materiam fidei, partem fidei tenebo, contraria pro viribus destruendo, per omnia confirmando me sanctae matri ecclesiae, ut me Deus adiuuet et sanctorum Euangeliorum conditores.

17) *Cod. ms.* p̄e guitantibus.

DE EXPENSIS PROMOVENDORVM.

CAPVT OCTAVVM.

Ad haec ut Vniuersitas possit crescere et Doctores pro laboribus suis aliquid consequi, volumus quod obtenta dispensatione Baccalaureus in canonico vel utroque iure apud decanum deponat aureos undecim et quatuor grossos, in iure civili *aureos nouem, septendecim* grossos¹⁸⁾, denarios octo, Licentiatus canonici vel utriusque iuris aureos sedecim, nouem grossos, iuris ciuilibus *tantum*¹⁹⁾ aureos undecim, viginti grossos, Doctor canonici *vel*²⁰⁾ utriusque iuris tandem duodecim aureos, viginti grossos, octo denarios. Ne autem gradus Baccalaureatus habeatur contemptui volumus, ut non Baccalaureus soluat omnes expensas illum gradum concernentes, perinde ac si tunc promotus fuisset in Baccalaureum. Quodsi promouendus legitime per omnia se ostenderit gradu dignum, Decanus acceptam pecuniam hoc modo distribuat: Nomine Baccalaurei canonici vel utriusque iuris Rectori grossos quinque, Decano decem, examineribus duos florenos, promotori unum, Bedellis decem grossos, aerario inferat aureos septem; nomine Licentiati Rectori decem grossos, Cancellario decem, Decano decem, examineribus quatuor

18) *Cod. ms.* totidem grossos nouem. *Quae cum aperte deprauata sint ita scribendum esse duxi, prout factum est. Summam autem nouem aureorum etc., eam fuisse, quam iur. ciuil. Lic. soluere debebat, ex ipsis nostri capituli verbis paullo inferius scriptis intellegitur.*

19) *Cod. ms.* tandem.

20) *Cod. ms.* ut.

aureos, recommendanti unum, Bedellis unum, aerario novem aurei inferantur; nomine Doctoris canonici vel utriusque iuris Decano Facultatis decem grossos, promotori unum aureum, Bedellis duos, aerario undecim; nomine promoti in iure civili tantum ubique tertiam minus exceptis aerarii expensis. Praeterea *Doctorandum* ²¹⁾ obligamus ad praestationem pirrethorum et chirotecarum Rectori, Doctoribus et Decano artium, Magistris vero artium et superiorum facultatum Baccalaureis chirotecarum tantum. Pecuniam vero examinis diuidant inter se examinatores nulla habita ratione absentis, nisi causa principis aut reipublicae litterariae abfuerit. Quod idem in ceteris emolumentis consequendis intellegi volumus.

DE OFFICIO IVRECONSVLTORVM.

CAPVT NONVM.

Doctores imprimis mutuo se ament et inuicem se diligant, nullus contra alium conspiret, sed sint unum corpus, una anima, unum velle, unum nolle; ita enim maxime nobis grati erunt, ante omnia diligenter, imo cum summa diligentia legant et alter alterum virtute studeat excellere. Si quis impeditus fuerit, alium substituat in locum suum, vel saltem diligenter et in continenti defectum suppleat.

Nullus publice ius profiteatur, nisi illius Licentiatus. Quilibet publice legens in anno solenniter repetat semel et

21) *Cod. ms.* Doctoratus.

secundum eorum ordinem semper *intra* ²²⁾ quindecim dies ²³⁾ procurent aliquem scholasticorum terere circulum, cui praesideant. Disputationes autem ipsae sint sincerae, amicae, non clamorosae et odiosae, magis ad eruendam veritatem quam ad inanem gloriam occupandam accommodatae.

DE HORIS LECTIONVM ET MODO LEGENDI.

CAPVT DECIMVM.

Quilibet a principio horae usque ad finem legat voce clara et intellegibili. Ordinarius id est Praepositus aestate hora sexta, hiema septima, ordinarius legum aestate octaua, hieme nona, alter ordinarius legum hora tertia, ordinarius nouorum iurium duodecima, ordinarius Institutionum in aestate hora septima in hieme hora octaua legat, in tertio et quarto Decretalium quarta ordinarius Decretorum hora sibi et auditoribus congruis ²⁴⁾ diebus, quibus alii non legent. Ordinarius id est Praepositus legat titulos ordinarios diligenter; ordinarii ²⁵⁾ legum teneant ²⁶⁾ inter se hunc ordinem: In principio studii id est tertia Nouembris huius anni octaui mane legatur Tit. de officio eius cui mandata est iurisdictio ff., facto prandio Tit. de noui operis nunciatione; se-

22) *Cod. ms.* in.

23) *Cod. ms.* die.

24) *Cod. ms.* congrua.

25) *Cod. ms.* ordinarius.

26) *Cod. ms.* tenent.

quenti anno Tit. de pactis C. mane, post prandium soluto matrimonio ff., anno tertio mane si certum petatur ff., post prandium de verborum obligationibus ff.; anno quarto mane C. qui ad mitti *ad bonorum possessionem possunt*, post prandium de legatis I° ff.; anno quinto, sicut primo; sexto sicut *primum sequente* ²⁷⁾ et sic consequenter. Et quod licet principium continuetur per totum annum diligenter, semper eliciendo sequentes titulos utiliores frequentioresque. Quodsi quis absque iusta causa lectionem neglexerit et ante finem eius studii non suppleuerit, defalcetur ei semper dimidius aureus, quem Reformatoribus damus.

27) *Cod. ms.* primo et quinto.

APPENDIX.
FORMVLA PROMOENDI.

FORMVLA
QVA WITTENBERGAE VTVNTVR IN CON-
FERENDO TITVIO DOCTORATVS.

Amplissime Domine Vicecancellarie, praeceptor summa obseruantia colende, et vir clarissime, Explorata est huius .N. doctrina in examine, et collegii iudicio visus est ad gradus petitionem admittendus. Nam et in doctrina Iuris diligenter versatur, et moribus honestis praeditus est. Ideo rogo et collegii et ipsius nomine, ut ei concedas licentiam et potestatem accipiendi gradum, et ornamentum doctorum in utroque iure.

Ego igitur autoritate, qua fungor te .N. promoueo, et renuntio Doctorem in utroque Iure in nomine patris, et filii, et spiritus sancti, attribuo etiam priuilegia huius gradus de iure concessa. Concedo ut de iure respondeas, qua in re memineras, et industriam et fidem praestandam esse, non ex tuis opinionibus pronuncies, sed ex scripti et fundati iuris sententiis. Ideo enim, ne aut indocti aut mali responderent, Augustus sanxit, ne quis responderet, nisi potestate ab Imperatore accepta, deinde attribuo ius cathedrae huius honestissimae i. ut tibi liceat alios docere, et enarrare iura et explicare. Aperio et propono librum, ut memineras non fingendas esse opiniones, sine vera autoritate, sed ius scriptum et firmas doctorum sententias esse sequendas, quam ad rem opus est assidua lectione et studio. Baldum, qui abundauit

ingenio, aiunt semel peregrinantem interrogatum, de quadam difficiliore quaestione, respondisse, se nunc non posse respondere, quia triduo a libris abfuisset, hac voce significauit vir prudentissimus assiduitate discendi opus esse iis, qui vere et ex fundamentis respondere cupiunt. Tribuo et pileum, vetus insigne docentium in Ecclesia, quare cogitabis, te etiam debere conferre operam et studium ad ornandam Ecclesiam et ad illustrandam gloriam Christi, et ut iuxta Euangelium modereris humanas leges et ordinationes. Nam cum politicae diuinitus sint ordinatae, ut in societate hominum illucescat notitia Dei, omnes politicae ordinationes, seruire debent gloriae Christi, sicut scriptum est: *Aperite portas Principes vestras, et introibit rex gloriae.* Do etiam ius aureorum annulorum, ut sicas hunc ordinem auctum dignitate et priuilegiis imperatorum, quia et nostri labores sunt quaedam togata militia, domi pacem et bonos mores retinens. Hoc complexu te admoneo, ut in caussis non incendere odia et discordias, non seruire affectibus potentium velis, sed quantum potes, dare operam ut sis author concordiae publicae. Postremo precor ut Deus dominus noster Iesus Christus gubernet tua et omnium studia, ad gloriam diuini nominis, et ad salutem publicam. Nam consilia et studia non sunt felicia, nisi gubernante Deo, sicut ipse inquit: *Penes me est sapientia et successus.* Tu quoque precipuum finem hunc tibi propones, ut tuis laboribus gloria Dei ornetur et in docenda iuuentute, et in consiliis dandis. Dixi.